





Epicedia

MEMORIÆ.

REVERENDI, HUMANIS: & doctiß: viri

DN. M. PAVLI SCHERTZII, ANIMARUM PASTORIS SEDINI ad D. JACOBI

Per annos jam jam 6. fidelissimi, Viri venerandi & emeriti denati piè & placide anno ætatis 40. & Mens. 11. Consecrata.

A suis & amicis & hactenùs quasi clientibus,

ANNO

En fortIs DVX es ChrIste benIgne MeVs.

STETINI, Typis Andreæ Kelneri. Aõ. 1623.

Magiſter Paulus Schercius
Paſtor Stetinenſis,

ἀναγραμματιζόμενος.

Laſſe petis ſortem: Cur?
Paſtus ſanguine Chriſti.


ἐξήγησις
Ad defunctum.

CUris *laſſe petis ſortem* meliore notatam
pollice, dum mundi deteriora fugis,
Deteriora fugis: *cur? paſtus ſanguine Chriſti*
tendis ad Elyſiæ regna beata plagæ.

Ultimum honorem conteſtando
Affini & Compatri ſuo
dilectiſſ. F.


JOACHIMUS JORDANUS
Poëta Cæſareus, in Scabinatu Primislav: Adſeſſor & Secretarius.

Elegi-



Elegia ſuper Textum à defunсto, piæ memoriæ in concionem ſelectum ex Pſal. 116. v. 12. & ſeqq:

Θέσις.



Uando quis in mundum venit, de Matre dolore
Natus, tunc miſer eſt, & dolor ipſe venit.
Naſcitur ærumnis: Ærumnis labitur idem:
Ærumnas mediâ vitâ habet ipſe ſuâ.
Nam licet interdum ſint gaudia mixta dolori:
Hoc tamen INTERDUM triſtia multa facit
Sed ſors quæratur: Mortali triſtibus omni,
Subjecto quænam tunc ineunda via?
Hoc docet in dicto divino ex corde petito
Defunctus Pſaltes, qui modò vivus erit.
Vivus erit, ſi verba piô jam pectore volvam,
Siq; canam æterni carmina læta poli.
Luge Muſa prius, poſt gaude Muſa viciſſim,
Sancta Trias luctus, gaudia noſtra para.
Inſit Pſalmographus: *Domino quid reddere poſſim*
Munere pro vario mî miſero exhibito?
In Nos Jôva bonus confert benefacta benigne
Sic omnis dicat: *Reddere quid valeam?*
Conſervat nos maternô ſub corde latentes:
Ergò canat quisquis: *Reddere quid valeam?*
Ducit de anguſtis auguſta in climata Mundi,
Inde omnis quærat: *Reddere quid valeam?*
Nutrit nos pueros clemens, nutritq; puellas:
Sic quivis dicat: *Reddere quid valeam?*

Arti-

Artibus informat nos, flore ætatis ineptos:
Hinc quivis quærat: *Reddere quid valeam?*
Ad cœlum tollit modò, mox detrudit ad orcum
Semper dicendum: *Reddere quid valeam?*
Nos modò honore beat, cruce mox castigat atroci
Semper quærendum: *Reddere quid valeam?*
Divitias donat, paupertatemq; reportat
Semper clamandum: *Reddere quid valeam?*
Laudem concedit, sed contemptum simul addit,
Hæc quisquis repetat: *Reddere quid valeam?*
Jam vitam servat, jam mortem imponit amaram;
Semper sic dicas: *Reddere quid valeam?*
Hæc benefacta DEI sequitur Retributio nostra,
Quâ duo debemus reddere vota DEO.
Debemus votum calicis, votumq; perennis
Laudis Jehovæ reddere pro exhibito.
Accipiat quisquis calicem potumq; salutum,
Retribuatq; suâ munera morte DEO.
Mors hæc non damni mors est, sed fata salutis:
Namq; calix Domini suaviter ebibitur.
Præcipuè à sanctis, quorum preciosa Jehovæ
Conspectu in claro mors habeatur atrox.
Sunt etenim servi Domini: sic vincula servum
Solvit morte, vehens cælica ad astra sua.
Filioli quoq; sunt ancillæ: Filius ergô
Eripitur quivis, advehiturq; DEO.
Ergò calix Domini quid amarus: nec sit amœnus
Pectoribus sanctis? Ecce salutis erit:
Vota deinde DEO laudis persolvere debet
Servus Jehovæ Filiolusq; DEI.

Hic

Hic & in æternum medio sanctumq; piumq;
In requie æterna, sedeq; perpetuâ.
Atria Jehovæ flagrant ardentq; piorum
Perfectum numerum, quò celebrant Dominum.
Sic celebrate viri sancti, quos avocat illuc
Mors suavis: nomen vos celebrate DEI.

Ὑπόθεσις.

Jnter quos cùm sit jam SCHERTZIUS, æqua requirunt.
Iusta, elegia mea at transferat huc & eum.
Mi SCHERTZI, meritò quem nomine adorno parentis,
Quid reddas Domino? sermo tuus fuerat.
Quottidiè, præsente tuô, tua verba, Lehmannò,
Sic fuerant: Domino reddere quid valeam?
Nam benefacta DEUS largissima contulit in me:
Pauper enim fueram, jam mihi divitiæ.
Ingeniô dives, dives donisq; canendi
Coram plebe pia verba sacrata DEI.
Dives eras fidei, plenus virtutibus, unquam
Gignere quas solita est ipsa sacrata Fides.
Inde sequebatur benedictio diva Jehovæ
Te proba tum conjux, te proba tum soboles.
Immò divitiæ variæ: sic sæpè citasti
Hoc verbum: Domino reddere quid valeam?
Ærumnis quoq; plenus eras plenusq; dolore,
Hæc spernens, dixti: Reddere quid valeam?
Audivi hæc lacrymans, charo lacrymante parente,
Ac simul expectans, quid sibi subjiceret.
Subjecit: Calicem Domini potabo salutis,
Pro cunctis reddam votaq; laudis ei.

Hæc velut optâsti, sic factum. Sede fruère
Ergò cælesti SERVE FIDELIS ibi.

Filialis Condolentiæ ergò
P.
IOHANNES LEHMANNUS P. L.
Cæs: Philos: & Theol studiosus.

ALIUD.



Chertzius occubuit, Sedini gemma, fidelis
Custos, divini pastor itemq; gregis.
Occubuit, dico: nihil insoliti accidit; imò
Occubitu mortis nemo Carere potest.
Hoc tamen haud adeò solitum est *quod*
(Schertzius ipso
Mortis in occubitu non tamen occubuit.
Annon occubuit? Non, non. Sic spiritus instat;
Hic oculo fidei, non oculo esto fides.
Nonne fuit Paulus, *Pauli vestigia Calcans?*
Qui fecit miris multa stupenda modis;
Qui tuba plena Dei, non noti plena furoris,
Ac quoq; inexhausti vas sine labe boni.
Omnia dum placuit traducere tempora vitæ
In sacris scriptis erudiendo rudes.
Num tu, qui Christi carne est & sanguine pastus,
Dixeris, æterno hunc occubuisse obitu?
Nonne illum, docuit qui scandere sidera cœli,
In Cœlo, ut Cœli sidus, *inesse putes?*
Hæc ægram in mentem veniant tibi Schertzia proles,
Ille parens vester morte obitâ haud obijt.


Sed

Sed valet & vivit (sedeat fiducia menti)
Tam sibi, quam Domino ritè superstes agit.
Hic ipse his vestris oculis spectabitur olim,
Cum novus unanimum in schema redibit homo.
Quam pulchros tum oculos, licet hic in morte gravatos,
Quam pulchras referet, jam sine luce, genas?
Quos dabit amplexus tibi? quos de morte triumphos
Ducet? quot quæso jubila blanda dabit
Schertzius ille tuus, nunc Cæli gemma, beatus
Angelici socius, frater itemq; gregis?

Moris, amoris & honoris ergò, summiq; doloris
Contestandi gratiâ subiecit
MICHAEL MINTIUS, Plaensis Marchicus
Defuncti liberorum præ:

ALIUD:

EPIGRAMMA introducens Maritam viduam lugentem & Maritum solantem.


Heü quid faciam misera & tam sola relicta? *Vid*:
Ah! Ah! quid faciam tristis ego *Vidua*?
Angunt curarum rapidi mea pectora fluctus,
Jubila læta cadunt, tristia corda premunt;
Cum *lacrymis* surgo, *lacrymis* quoq; reppeto lectum,
Suntq; meus, *lacrymæ* nocte dieq; cibus.
Perpetuus luctus tremefactos occupat artus,
Et membris lassis vix datur ulla quies.
Ah! Ah! quid faciam? sum tota dolore gravata:
Namq; pium rapuit mors inopina *Virum*.

 Hem

Hem quid triſtaris, lugubres abijce curas; *Mar:*

Schertzius hicce tuus gaudet ovatq; polo.

An neſcis Conjunx, cunctis ſemel eſſe ſtatutum

Morte mori, & metam cuilibet eſſe ſuam?

Tranſivère patres; & vos tranſibitis omnes;

Jn Cœlo patriam, qui, benè tranſit habet.

An neſcis, Jhovam *Viduarum* dicier almum

Patronum, dextrâ qui regit atq; tegit?

Illas qui nutrit, ſervatq; geritq; fidelem

Illarum curam, providus ut Dominus.

An neſcis, cunctos nos eſſe ex pulvere cretos?

In quem diſſolvi cogitur omnis homo.

Ah! hæc vita quid eſt, (hæc ſi modò vita vocanda eſt,)

Cor crucians certè nil niſi cura, labor.

Annon Turca furit, Coſſacus corpora ſternit,

Vndiq; tecta ruunt, undiq; regnat ἔρις?

Ergo, quid duro miſerum cor percutis æſtu?

Mors mea non mors eſt, ſed pia vita mihi.

O *lætum lethum*, quô ſum ſubductus ad aſtra,

Hîc mihi *læta* quies, hîc mihi *læta* ſalus;

Iubila *læta* mihi, mihi jam quoq; *læta* Corona,

Triſteq; ſic lethum triſtia læta facit.

Per lætum lethum lætam te ducat Jova

Gaudia ad hæc, *læto* pectore, *læta*, precor.

Temporis interea *Conjunx mea chara valeto,*

Eliſabetha vale, filia chara vale.

Voſq; mei nati *Paule atq; Erneſte Valete;*

Nec non *Sedini Concio ſancta Vale.*

In ultimum optimi ſui fautoris ac εὐεργέτου
honorem apponebat.
CHRISTIANUS, JAHNIUS Primislavienſis
Marchicus

